



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nonni poetæ Panopolitani, In euangelium sancti Ioannis  
Paraphrasis Græca**

**Nonnus <Panopolitanus>**

**Paris, 1542**

Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69505](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69505)

## AD LECTOREM.



E aut miratus sis, aut rem  
 nullius exempli putaueris,  
 candide Lector, me Non-  
 num, qui uersibus historiã  
 Euangelicam diui Ioannis  
 reddidit, prosa reddidisse.  
 Conabar equidem uersus  
 uersibus exprimere, uerũ  
 cũ id præterquam quòd magno labore cõstitutum  
 erat, etiã nõnihil mihi ἀσύντακτον uideretur, & pro-  
 pter mira Poetæ nostri græca epitheta, quæ non  
 nisi multis uocibus latinis uerti apte poterant, &  
 quòd uno sæpe uersiculo græco tantum complexus  
 est, quantum duobus aut tribus uersiculis latinis æ-  
 gre quis comprehēdat. Proinde prosaica oratione,  
 pro mea uirili Nonnum nostrum Latio donare ma-  
 lui. Neque uerò nullo exemplo feci, quicquid feci, re-  
 degerunt Homerum poetã in prosam, Valla & Vo-  
 laterranus, foelicius fateor quàm ego Nonnum: sed  
 tamen cum id ut ut à me factum sit, non sine magno  
 uerũ in literis heroũ exēplo factũ sit, me omnẽ repre-  
 hensionem effugiturum spero. Porrò si in principio  
 Nõni, ubi locum difficilẽ in Euãgelio Ioannis de diui-  
 nitate Christi paraphrastice tractauit, propter Epi-  
 theta uaria & difficilia redditu alicubi errassem, à  
 fide tamen Ecclesiæ orthodoxæ recessisse nolo, sed  
 potius aut incogitantia lapsus, aut uoci græcæ red-  
 dende non suffecisse, uideri malo. Id quod propter=

ea scribo, quòd hoc nostro seculo nomen hæretici  
crebrius, sit quàm olim noctuæ Athenis fuerint. idcir-  
co ne ob unam aut alteram uoculam, perperam for-  
tassis à me redditam, hæreticorum catalogo adscri-  
bar, me & iudicio & fidei Ecclesiæ orthodoxæ sub-  
mitto. Vale.